

Licet autem ad actiones huiusmodi obeundas solear ad speciales qualitates sacrorum Ministrorum attendi, id non est satis ad propositum, ex doctrina eisdem Eximij Doctoris Cap. 4. Libri citati n. 1. ubi bene obseruat aliquando concedi priuilegium alicui propter commune bonum; & nihilominus in eo considerari bona eius merita; non vt merita, sed vt indicia virtutis conuenientis, vt ei tale ministerium committatur. Quod ex Cap. Mandata, de Præsumptionibus; licet ibi de priuilegiis non agatur & quamuis ibidem dictus Pater dicat priuilegium tali benemerito, licet non vt benemerito, concedi; id non est ex eo quod priuilegium secundum propriam rationem ipsi conueniat, sed ministerialiter, & secundum quod per eum priuilegij commodum ad alium, pro quo est concessum, deriuatur, vel, vt loquitur Fr. Ioannes Baptista in Animaduersionibus pro Confessariis Indorum. 2. p. fol. 119. pag. 1. & fol. 375. pag. 2. quia per eos dispensantur.

Fr. Ioan. Baptista.

Affertio 3. id limitans, cum aliquod subest eodem modum.

Cap. Vt priuilegia

4. Dico tertio. Aliqua sunt priuilegia, quorum licet commodum ad Indos referret, dici possunt priuilegia eorum, qui circa illos aliquid obeunt ministerium. Ratio est: quia potest etiam commodum eorum Ministrorum attingere; pro quo ipsa consulenda. Esse autem talia posse constat ex Cap. Vt priuilegia, de Priuilegiis, cuius illud initium: *Vt priuilegia, que quibusdam Religiosis Romana concessit Ecclesia, permancant inconcussa &c.* Et statim de Confratribus, & Oblatis loquitur, quibus specialis gratia conceditur circa sepulturam tempore Interdicti, eod quod ab ipsis in Religiosos specialia emolumenta redundabant.

Affertio 4. Quales effectus ex differentia dicta.

5. Dico quarto. Differentia dicta ad id potest deferuire, vt priuilegia diuerso modo interpretanda sint, iuxta diuersas Scribentium opiniones. Si enim Indorum sunt, & non Ministrorum circa illos valde fauorabiliter extendenda; non ita circa istos; nisi quatenus fauorabilis circa hos interpretario in illorum fauorem potest redundare. Sicut e conuerso, quando Ministrorum sunt. Sin autem commodum vtrique persentiant, vtrumque est fauor ampliandus. Et ratio est: quia fauorem esse ampliandum ex regula Iuris habemus in 6. fauor autem & commodum idem sunt in præsentia: ergo cum priuilegium propriè tale ex commo dignoscatur respectu eius fauor ampliandus est, respectu cuius commodum habetur; non ita in eo, qui nullum commodum experitur. Sed ampliatio hæc ampliùs explicanda, & ita pro ea fit

CAPVT II.

An Indica Priuilegia sint fauorabiliter accipienda, augenda, & amplianda.

Communitis differentia priuilegiorum, iuxta quam loquuntur Auctores.

6. Iuxta grauium Scriptorum sententiam videtur cum distinctione loquendum. Aut enim priuilegia sunt pura beneficia, qua nulli præiudicium afferunt, nec derogant juri communi, aut alicujus tertij: vel secus. Si primum, fauorabiliter accipienda sunt, augenda, & amplianda, seruatâ tamen verborum proprietate. Si secundum, restringenda sunt, quia

odium continent: odiosum enim est quod à jure communi exorbitat, aut alicui generat præiudicium: odia autem esse restringenda, celebris regula juris in 6. pronuntiat. Sic. P. Suarez Lib. 8. de legibus Cap. 7. P. Palaus Tomo 1. Tract. 3. Disputat. 4. Puncto 10. & alij apud ipsos. Nihilominus

Affertio 1. Indica late interpretanda.

7. Dico primo. Priuilegia Indorum propria late interpretanda sunt, iuxta ea omnia, qua Doctores circa huiusmodi interpretationem afferunt. Sic Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 26. num. 110. iuxta doctrinam Tiraquelli, & Barbosa. Fr. Ioannes Baptista supra. fol. 144. pag. 2. & alij. Quod probat ex receptissimâ doctrina apud Scriptores, iuxta quam priuilegia, etiam si odium aliâs contineant ob rationem dictam, late interpretanda sunt, quando cedunt in fauorem religionis, ac piæ causæ, de qua aliâs dictum: & videri pro eo potest P. Suarez supra num. 7. P. Palaus num. 5. apud quos alij. Bonacina Tomo 2. Disput. 1. Quest. 3. Puncto 7. §. 1. num. 5. vers. Diui regulariter cum Patribus Henriquez, Salas, Sancio, & aliis. Atqui Indorum priuilegia cedunt in fauorem religionis, & causæ piæ: ergo amplè interpretanda sunt. Major constat, & Minor ostenditur. Indorum, vt est fauorem fidei, & conuersionis. Indorum, vt est compertum: vnde Pontifices id solent in concessione testari, vt videri potest specialiter in Bullis Pauli V. Urbani VIII. & Innocentij X. quarum exordium est, *Animarum salui.* Item piæ causæ negotium agitur, quandoquidem Indi miserabiles personæ sunt, vt probat Dom. Solorzanus supra Lib. 1. Cap. 27. per totum: ubi eorum priuilegia ex tali titulo ipsis conuenientia recenset. Vnde irrefragabilis est consequentia.

Probatio, quia cedunt in fauorem religionis.

Et etiam causa piæ.

8. Dico secundo. Idem dicendum est de priuilegiis respectu eorum quibus propriè non conueniunt. Sed ministerialiter, iuxta dicta num. 3. quando ex lata interpretatione erga ipsos fauor in Indorum cedit commodum, sicut num. 5. dicebamus. Et hoc etiam si priuilegia contra ius commune sint, aut odium aliud videantur continere. Quod quidem eodem probandum fundamento, quo præcedens Assertio roborata: nam ex eâ parte fauor religionis, & causæ piæ habetur: vnde & debeant ampliari.

Affertio 2. idem statuens de priuilegiis Ministrorum, si in eorum cedant commodum.

Dico tertio. Si priuilegium aliquod sit contra ius commune, aut aliâs odiosum, ex quo nulla vtilitas ad Ministerium veniat, non debet amplè interpretari. Ratio videtur clara. Quia priuilegium huiusmodi non habet rationem talis respectu Ministri: ergo nullum est fundamentum cur possit in ordine ad illum ampliari.

Affertio 3. negans, si commodum desit.

9. Dico quarto. Ordinariè, & vt in plurimum, non improbabiler loquendo, priuilegia etiam respectu Ministrorum possunt amplè interpretari. Id probat. Nam ordinariè priuilegia commodum aliquod Ministris afferunt: negari enim nequit quin potestas dispensandi, & faciliiori ritu administrandi Sacramenta, commodissima Ministris sit: sic enim non solum minor est eorum labor, sed etiam multis anxietatibus liberantur, dum implexas & turbatas conscientias dispensationis reddunt beneficio serenas, & in statu saluationis constituunt eos, qui sine remedio aliâs perituri videbantur. Quod si dicas hoc

Affertio 4. Afferens ordinariè loquendo, ob commodum aliquod Ministrorum.

Notanda doctrina ad fundandam probabilitatem Assertio.

hoc vltimum iam in vtilitatem Indorum cedere; primum certè non cedit tantum, & ita locum habere etiam in dispensationibus potest, per quas Ministri à labore aliquo eximuntur. Accedit, vt probabile hoc sit, verosimilis Bonacina doctrina supra Puncto 8. num. 20. ubi ait quod si priuilegium concedatur indefinitè & generaliter, præsumitur concessum in fauorem illius, cui facultas committitur: vt si alicui concedatur facultas ad dispensandum, vel ad audiendas Confessiones indefinitè, seu cum personis indeterminatis. Sic ille cum PP. Suario & Sales, ac Rota Romana: secus si concedatur personæ designatæ. Cum ergo priuilegia Ministris Indicis concessa sic se habeant, dici possunt illis concessa: & quia commodum illud non sinit in ipsis, sed ad Indos respectum includit, ex eo dici potest amplè interpretanda. Et etiam quia Religiosis concessa sunt, si Ministri tales sint, immo & si non sint tales, sed quæcumque personæ sacre: quia negotium religionis agitur, dum personæ sacre taliter honorantur, in quo etiam pietatis respectus admiscetur, vt dici etiam causa pia possit. Vnde & idem dicendum de priuilegiis, quæ pro Hispanis, & aliis Indiarum incolis conceduntur.

Affertio 5. Fauorabiliter interpretanda, quia Regibus Catholicis concessa.

10. Dico quinto. Priuilegia dicta ex eo quod Regibus Catholicis videantur concessa, dici potest fauorabiliter esse interpretanda, etiam si odiosa aliâs propter adductas appareant rationes. Sic Dom. Solorzanus, & Fr. Ioannes Baptista locis adductis num. 7. & quidem quando priuilegia aliqua ad eorum instantiam concessa sunt, non videtur posse dubitari. Potest autem dici omnia eundem respectum habere: cum enim concedatur Ministris à Rege missis, siue ad conuersionem Indorum aliâs destinatis, eidem videntur concedi, quandoquidem communis causa est, & Pontifices sciunt à Regibus negotium istud cum omni fidelitate tractari. Vnde etiam non expresse, tacitè tamen ad eos videtur directa concessio. Taciti autem & expresse ratio est eadem, vt notant Doctores in Cap. Cum olim, de censibus, ibi: *Cui renuntiasse tacitè videbatur.* Videndus Barbosa ibidem num. 7.

Cap. Cum olim,

CAPVT III.

Priuilegia Indica an sint perpetua.

Perpetua que certa sint.

11. DE aliquorum perpetuitate nequit dubitari, quia ita in eorum concessione expressum habetur, vel saltem nulla temporis limitatio adiecta, quod satis est vt perpetua esse intelligantur, iuxta communem Doctorum sententiam. Pro quo videri potest P. Suarez supra Cap. 5. præsertim numer. 2. Fauetque apertè regula iuris in Sexto sic habens: *Decet beneficium Principis esse mansurum.* Vt maneat scilicet, quando nulla est limitatio apposta ipsi. De concessis ergo prædicto modo res est extra controuersiam, nisi reuocata fuerint, vt accidit in iis, quæ concessa sunt viuæ vocis oraculo, & in nonnullis aliis, quæ propter instantiam aduersantium aliquorum esse desierunt, sic Sede Apostolica conueniens iudicante. Est ergo

Cap. Decet de reg. iur.

difficultas de temporalibus, quæ multa inter Indica reperiuntur, Religiosis concessa, & præsertim Societati nostræ, in quibus Religiones multæ communicant in Indiis existentes, vnde ad omnes ferè potest, quod de illis discusum fuerit, pertinere. Quamuis negandum non sit circa aliqua, vt non communita sint, specialem difficultatem occurrere, quod non est in præsentia disputandum: sed illud tantum, an limitatione temporis non obstante in eisdem adiectâ, probabile aliquod fundamentum succurrat ad eorum perpetuitatem asserendam.

De omnibus sententia assertio, mans pro quo ratio ex Bulla Pauli V.

12. In quo non defuerunt qui ita censerent, & quidem docti viri id probantes. Primò ex Bulla Pauli V. die 4. Septembris. An. 1606. in qua de Societate loquens sic ait: *Motu proprio, & ex certa scientia, ac mera deliberatione nostra, deque Apostolica potestatis plenitudine, laudabile Societatis Institutum, Constitutiones &c. Nec non priuilegia, facultates, exemptiones, immunitates, gratias, & indulta, à prædictis, & aliis Prædecessoribus nostris eidem Societati, & illius pro tempore existentibus Præposito Generali, & Religioni principaliter vel per communicationem concessa, quæcumque illa sint, Apostolica auctoritate prædicta, eorundem tenore præsentium perpetuò approbamus, & confirmamus, ac illis perpetuè ac inuolabilis firmitatis, ac nostre, & Apostolicæ Sedis auctoritate robur adiuuimus, eaque omnia & singula innouamus, & de nouo concedimus.* Hæc Pontifex, ex quibus videtur efficaciter argui posse: nam priuilegia, quæcumque illa sint, Societati concessa confirmantur, approbantur, & innouantur, cum perpetuâ firmitate, omnia & singula. Atqui priuilegia Indica sub illâ vniuersalitate comprehenduntur, vt est planum, sic enim indicant verba illa, *Qualiacumque, omnia, & singula:* ergo perpetuæ, & inuolabilis firmitatis robur assequuntur.

Vergetur ex eo quod confirmatio non est in forma communitis, que specialem vim non addit.

13. Nec dici potest confirmationem hanc esse in formâ communitis, & ita specialem vim non habere ad effectum prædictum, iuxta communem doctrinam Scriptorum in Iuris dispositione fundatam, per quam habetur confirmationem dictam nullum ius nouum conferre, nec valorem dare priuilegio, si erat inuolabile, & ita non posse dici nouam concessionem, sed puram roborationem. Pro quo videndus P. Suarez supra Cap. 18. præsertim num. 8. non inquam dici potest. Nam confirmatio dicta Pauli V. est ex certâ scientiâ, vt ex ipsius tenore constat, additis nouis clausulis eandem scientiam roborantibus, scilicet, *Motu proprio, & mera deliberatione nostra.* Quando autem hoc habetur, confirmatio non est in forma communitis, sed specialis, & ita habet vim nouæ concessionis, & actum nullum reddit de inualido validum, per Textus & Auctores adductos ab eodem Patre. num. 12. Emmanuele Roderico Tomo 1. qq. regul. 4. §. artic. 4. & Tomo 3. quest. 23. artic. 5. 5. Præterea. Pro quo & P. Palaus Tomo 1. Tract. 3. Disputat. 4. Puncto 2. §. 10. & plenissimè Cardinalis Tufchus V. Confirmatio ex certâ scientiâ. Per quod etiam excluditur id, quod de inuoluatione dici poterat, eam scilicet nouum ius non tribuere, vt expresse habetur in Cap. Ex parte 1. & in Cap. Quia intentionis, de Priuilegiis, cuius vltimi Capituli verba sunt: *Cum inuolutio nec ius nouum conferat, nec etiam tollat.*

Cap. Quia intentionis tollat

tollat veter: re in eo statu esse volumus, in quo tempore imperata innovationis dignosceris existisse. Hoc enim similiter intelligendum est; quando scilicet innovatio ex certa scientia non est, ut videri apud citatos potest, & præsertim apud P. Suarium Cap. 20. vbi id ex professo persequitur, & P. Quintanad. supra num. 7. vbi alios adducit. Vbi etiam addendum, per clausulam dictam. Deque Apostolica potestatis plenitudine, haberi etiam confirmationem non in forma communi, sed speciali, & ita privilegia etiam abrogata concedi. Pro quo Emmanuel Rodericus supra cum aliis. P. Suarez Cap. 18. numer. 6. vbi adducit Panormitanum, Decium, & Felinum, affirmans cum illis clausulam dictam esse æquipollentem cum alia, Ex certa scientia. Videtur ergo ex dictis perpetuitas privilegiorum non obscure deduci.

Secunda ratio ex concessione specialis eiusdem Pauli.

Responsum R.P. Claudij.

Alia eiusdem.

14 Secundo. Quia ipse Paulus V. videtur perpetuitatem privilegiorum talium aperte concessisse, ut constat ex testimonio R.P.N. Claudij Aquaviva ad maiorem certitudinem geminato. In responsionibus enim ad postulata Congregationis Peruvianæ celebratæ Ann. 1612. sic respondet die 25. Martij, Ann. 1614. ad illud speciale, quod pro obtinenda à Summo Pontifice privilegiorum perpetuitate fuerat efformatum: Curatum est cum sanctissimo, ut omnia privilegia, que ab eius Prædecessoribus pro Indijs concessa fuerant, sine aliqua restrictione prorogarentur, & obtinuerunt: sicut ex Breui, quod nunc mittimus, constabit. Sic ille; qui sequenti Anno die 5. Februarij, ita rescribit P. Joanni Sebastiano: No ha si do necesario dar à su Santidad las cartas que V. R. en vno de los tres Prelados de ese Reyno, en que piden la prorogacion de nuestros privilegios Indicos, por averla ya concedido su Beatitud. Hæc ille: quas responſiones adducit P. Quintanad. Tomo 2. Tractat. 6. Singulari 1. vbi addit dictum Breue nondum ad Indias pervenisse: vel quia Litteræ Apostolicæ expeditæ non fuerunt, vel quia hoc tantum vitæ vocis oraculo concessum; vel quia (quod certum existimat) quia Litteræ non sunt à Pontifice promulgatæ: satisque existimavit ad nostrorum privilegiorum vltimâ voce esse expeditas Generali nostro dixisse, ut indicare videtur citatâ Epistola eiusdem ad P. Joannem Sebastianum.

Non obstante temporalem eiusdem Pontificis postea concessione ex notanda doctrina.

Vide Cap. 1. de Constitutionibus in sexto.

15 Quod si dicas ab eodem Pontifice privilegia Indica quædam per illudmet tempus cum temporis limitatione concessa, ut patet ex Bullâ eiusdem die 16. Maij, Ann. 1624. ex quo videtur incredibile eundem sine temporis limitatione omnia paucos ante dies concessisse: id certè non videtur obſtare: tum quia privilegia dicta in foro interno perpetua sunt, & solam quoad externum limitatio constituta, quia pro hoc vltimo speciales suberant rationes. Tum etiam: quia hæc, quæ videtur in concessione contrarietas, reuerâ talis non est, dum in posteriori concessione, in quâ est limitatio, non est mentio prioris. Cùm enim privilegij antecessio res facti sit, & non dispositio in corpore Iuris inserta, non est mirum si cogitationi Pontificis non occurrat, quam tot ac tanta gravissima negotia habent indefinenter occupatam: & in terminis casus prædicti ita tenet Glossa in Cap. Generi de Regulis Iuris in 6. & Panormitanus

in Cap. Veniens, de Præscriptionibus numer. 12. Emmanuel Rodericus Tomo 1. qq. regular. Quæst. 9. Artic. 3. in fine, Cardinal. Lugo in Responsis Moral. Lib. 1. Dub. 24. & alij: licet contrarium teneant P. Suarez supra, Cap. 39. numer. 7. Pater Palas Disputat. 4. citatâ, Puncto 21. §. 4. numer. 14. & sequentibus. cum nonnullis aliis, quos allegat.

Probatio ex favorabili interpretatione.

16 Tertio: quia privilegia dicta latè interpretanda sunt, iuxta dicta ergo cum prorogata esse constet, nec de aliqua temporis limitatione notitia obſtet, debent perpetua censi. Quæ videtur legitima consequentia. Dixi autem constare: nam responſiones dictæ moralem inducunt certitudinem; sunt enim R.P. Generalis sigillo munitæ, & subscriptione notissimæ. Quod autem eidem plena fides adhibenda sit saltem pro foro interno, manifestum est, tum ex doctrina quamplurium generaliter affirmantium personarum omni fide dignarum credendum esse in eo foro: sic enim tenet Nauarrus in Manuali, Cap. 22. num. 82. cum Glossa singulari in L. Titio fundus. D. de condit. & demonstrat. Et in casu simili Lib. 5. Consiliorum, Titulo de Privilegijs, Consilio 10. num. 4. in posteriori editione. Et in priori Lib. 3. Titulo de Testamentis, Consilio 12. numer. 9. iunctâ Glossa in Cap. Numer. de testibus. Et in Cap. Placuit de Consecrat. Distinct. 4. Pater Thomas Sancius Lib. 3. de Matrimonio, Disputat. 37. num. 3. & 4. P. Suarez supra Cap. 24. numer. 9. qui maximè ad rem loquitur, cum de privilegij probabili notitia loquatur, & quod possit credi dicenti se habere privilegium. P. Salas 1. 2. Quæst. 96. Tractat. 14. Disputat. 12. Sect. 7. numer. 30. P. Sà V. Testis, numer. 1. Diana Parte 8. Tractat. 3. Resolut. 30. Bonacina de Legibus, Disput. 1. Quæst. 3. Puncto 3. num. 8. §. Ex quo inferitur, vbi ait privilegiorum, cognitâ à viro fide digno privilegij concessione, seu dispensatione, collatâ nuntio, vel Procuratori, licet vti posse privilegium, vel dispensatione: quamvis hoc cognoscat ab alio quàm à nuntio, vel Procuratore. Si ergo, iuxta hanc doctrinam, aliquis fide dignus scripſisset à Pontifice confirmata privilegia, illis vti in foro conscientie liceret, quandoquidem concessio facta esset R. P. Generali, & eius nomine Societati, qui plusquàm Procurator est. Ergo multò certius id asserendum, quando concessio rescriptione eiusdem Reverend. P. Generalis innoteſcit. Sunt etiam pro adducta doctrina Auctores alij, quos citati adducunt, de hoc scilicet agentes, aut de materiâ simili, ut Cardinalis Zabarella, Panormitanus, Felinus, Speculator, & plures Glossæ. Quod aliunde etiam roboratur: nam in Societate nullus frui privilegij potest, nisi per communicationem R. P. Generalis: ergo consequenter ad eum spectat privilegiorum notitiam instillare: ex quo fit credendum ipsi quoad privilegiorum substantiam & modum, cum quo sunt ab Apostolicâ Sede concessa. Illatio est clara, ex vtriusque rationis connexionem: & quia vnum est consequens seu accessorium ad aliud tamquàm principale. Pro quo videri potest P. Suarius supra, Cap. 11. numer. 7. & P. Sancius supra etiam, Lib. 8. Disput. 2. num. 2. cum Felino, quem citat.

Vni testi fide digno in foro conscientie credendum.

Et R. P. Generali quàm maxime.

Quarta ratio ex concessione quorumdam privilegiorum sine temporis limitatione.

In privilegij quomodo fieri extenso possit.

Vltima, ex favore fidei & causæ piæ.

Ex Bullâ Pauli V. noua vis.

Et obseruanda P. Suarij doctrina.

Affertio negans perpetuitatem.

Ratio vrgens pro illa.

17 Quarto argui potest: nam ut vidimus num. 15. Paulus V. concessit duo privilegia perpetua in foro conscientie, & in graui satis materiâ, videlicet circa dispensationes in gradibus prohibitis cum eximâ generalitate, in gradibus inquam non prohibitis iure diuino: ergo valde credibile est circa alia, quæ non ita iniustata sunt, similem intentionem habuisse. Consequentia probatur: nam licet communis sententia sit in privilegij non fieri extensionem de casu ad casum, siue de personâ ad personam, & etiam de maiori ad minus non connexum cum illo: nihilominus probabile est, suffragantibus coniecturis, extensionem fieri posse, seu potius de vno ad aliud argumentari. Sic enim docet P. Suarez supra Cap. 28. in fine, cum Baldo & Iasone, dum ait vnum privilegium posse per aliud explicari, & quod in vno deficit, per aliud suppleri. Atqui constat privilegia Indica prorogata, licet de perpetuitate non constet: ergo per alia, quæ ut perpetua concessa sunt, & in materiâ minus dispensabili, conuenienter possunt explicari.

18 Tandem probari positio ista potest ex dictis Cap. precedent. privilegia scilicet fauorabiliter interpretanda, quando id cedit in fauorem fidei, & causæ piæ; quod Indicis vidimus specialissimè conuenire: atqui perpetuitas illorum est fauor specialis in magnum Indorum commodum redundans: ergo debet pro illâ iudicari, & ut non sit necessarium extenſione vti, vel ad sententias minus probabiles confugere, in concessione Pauli V. de quâ num. 12. vis potest fieri specialis, & maximè in verbis illis: Quæcumque illa sint. Pro quo est doctrina Doctoris eximij citato Cap. num. 14. vbi sic ait: Est considerandum, aliud esse deriuare privilegium de vno ad aliud per similitudinem rationis, quod non licet: aliud verò in superficie verborum appareat; quod licet quando ratio suadet, &c. Sic ille: si ergo licet quando ratio suadet, & suadet quando est causâ piæ, de quâ ille loquebatur, licet verba in suâ obuiâ significatione id non indicent, multò id verius erit, quando verba id indicant ob suam vniuersalitatem, & etiam causâ non solùm piâ, sed piissima est, ut in casu nostro. Nihilominus

19 Dico primò. Privilegia Indica non sunt generaliter perpetua, sed illa tantum, quæ sine limitatione temporis concessa sunt. Sic P. Quintanad. supra, ut sibi indubitarum, quod & pariter alij censuerunt, & censerent pariter omnes, nisi vir doctus, & magnæ auctoritatis circa hoc nonnullorum promptiores plus iusto spiritus excitasset. Quia verò totum hoc ex concessione est Pontificis deducendum, si ostenderimus nullam extare, statim ex eo Affertio nostra stabilita remanebit. Arguo igitur: nam ut privilegia lapsu temporis finita, confirmata, & pro determinato tempore concessa, perpetua, sicut & priora illa censentur, debet ex aliquo authentico fundamento confirmantis innoteſcere: atqui nullum datur in præſenti: ergo asserere id non possumus, neque asserentibus fidem probabilem adhibere. Maior est certa; quia totum hoc negotium ex voluntate Pontificis pender, quæ non

nisi externis potest indicij declarari. Si ergo, quia temporalia esse privilegia vult, ita declarat, & ita accipimus: ut perpetua sint, proportionata etiam esse significatio voluntatis debet. Minor autem ostenditur refutatione eorum, quæ ad coniecturam fundandam afferuntur, & sunt à nobis superius roborata.

20 In primis Bulla Pauli V. nihil iuuat: nam ea promulgata, & à Societate accepta, neque à viris doctissimis, neque à R. P. Generali doctissimo etiam, & in rebus ad Societatem spectantibus versatissimo, tale quid est in eâ deprehensum: vnde & in Indijs pro confirmatione est instanter conlatum, & ab ipso R. P. Generali sollicitè procurata. Quod ergo in eâ de confirmatione & innovatione omnium privilegiorum dicitur, non est ad Indica extendendum, sed ad alia applicandum, quæ ad corpus Societatis pertinent, quam Pontifex contra turbatores ex turbulento ambitionis spiritu, aut alio non secundum scientiam, defendere satagebat. Communis ergo causâ, non Indica, cuius ratio specialis erat, agebatur. Et quidem R. P. Generalis sic intellexit, ad quem spectat ea, quæ ad proximam Societate occurrunt, declarare, ut habetur in Decreto 19. Congregationis Generalis 4. & Canone 21: Vbi licet de declaratione tantum circa Constitutiones & Decreta sermo sit, eadem est de aliis ratio, iuxta plenissimam illam potestatem, quam habet supra Societatem, de quâ in Formula Instituti approbati à Julio III. ut in eius Bullâ habetur, quæ incipit: Expositi debentur. Cùm autem sic intellexerit, nulla certè amplior in Societate licet, quandoquidem nullius privilegij vsus licitus est, nisi ab eodem fuerit R. P. Generali concessus, ut determinat Gregorius XIII. in Bullâ, quæ incipit, Decet Romanum Pontificem. Id autem quod à R. P. Claudio ita iudicatum est, omnes alij successores similiter iudicauerunt.

Bullam Pauli V. nihil iuuat.

Potestas Generalis in Societate.

21 Quod si dicat quispiam aliud esse vsum non licere, & aliud facultatem radicalem ad illum deesse in eo, ad quem spectat, licentia pro ipso: & ita R. P. Generalem negare vsum, quod autem ad potestatem attinet probabiliter posse disputari. Id certè non satisfacit; quia R. P. Generalis non solùm indicauit non licere vsum, sed potestatem in se ad illum nullam residere, idque & fito, & aliorum Patrum doctrinâ præstantium iudicio. Ad proximam autem rectæ gubernationis etiam spectat prohibere vsum privilegij non solùm veri, sed quod probabile alicui videri poterat, tamquàm improbabile: cùm ex persuasione probabilitatis vsus talis graui inconuenientia sequi possint: sicut circa Bullâ Cruciatæ vsus à Congregat. 6. factum. Decreto 5. & circa paruitatem materiæ in genere luxuriæ, ac notitiæ vsu ex Confessione habitæ à R. P. Claudio. Licet autem Declaratio talis non extet circa casum, de quo loquimur, per Ordinationem aliquam intimata; iudicium tamen aded constans & indubitatum arguit à R. P. Generali Bullam prædictam iuxta illius proprium fuisse intellectum acceptam, quem potuit tum ex tenore Bullæ ipsius, tum ex antecedentibus & consequentibus, atque etiam ex amicabili Pontificis conuersatione percipere, apud quem magnam æstimationem constat habuisse.

Eiusus, ex vni tantum negatio præclara.

Ad proximam gubernationis quid spectat.